

Fb  
3352 d

















Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

INDEFINIBILI-  
TATE DEI,

Quam

*Inclytæ Facultatis Philosophicæ indultu,*

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

*placido eruditorum examini subicit*

Sub Præsidio

M. CAROLI ANDREÆ Redel /

Hallenfis.

JOHANNES SAMUEL Klinger /

Lipfisfis.

*Die 21. Jan. Ann. 1691.*

*a. XCIV. 29.*

H. L. Q. C.

*1893/49 2215*

LIPSIÆ,

Typis, WITTIGAVIANIS.





D I S S E R T A T I O

D E

I N D E F I N I T I B I L I

T A T E D E I

Q U A M







## AD LECTOREM.


**N**on peccavi in lenitatem tuam, Benevole Lector, eò quòd, quam tibi presentem sisto, materia te offendam tenuitate. Facile enim, credo, poteris exorari, ut viam favoris tui, pro ea, quæ es, humanitate hisce pagellis aperias, si exilitatem earundem tenui ingenio meo condonaveris, & ipsam lenitatem scrutinii incitamentum dedisse memineris. Non diffiteor equidem, cum animo sederet, publico quodam specimine studii philosophici tyrocinium ponere, me dubiamente ivisse per varias varii argumenti materias: mox de terra motu, mox de alio quodam themate cogitavi; sed quantum voluntatis dignitas attulit, tantum facultatis difficultas detraxit, donec, pendulâ mentis lance re diu agitata, certissimus animus in presenti problemate acquievit. Et quamvis fore plerosque nullus dubitem, qui hoc genus scripturæ leve, & non satis lectu dignum judicent; Malui tamen pro modulo tenui ingenii mei agere, quam in re gravi rudi opere conatus



meos prudentum exponere risui. Non eadem omnium est vis : & quod Elephantis dorsum gravissimo oneri portando sufficiat, nihil derogat virtuti equorum, quod leviori pondere vim suam tamen probent. Sint difficiliora iis, quibus major effulget ingenii vis, relicta, mihi satis est, quid valeant humeri, quid ferre recusent respexisse. Quod si vero amplior ingenii mihi olim erit suppellex, lautiores dapes me appositurum promitto. Interea implorato sic tuo, benevole lector, favore, & dubio procul impetrato, eò majori cum audacia dicam, an fiducia, hasce pagellas, de indefinibilibus DEI exaratas, oculis tuis sisto: ostensurus in priori, DEum non quidem definiri posse; in posteriori verò parte aliqualem tamen descriptionem in eundem cadere. DEus cæpta secundet!

CAP.





## CAP. I. Argumentum.

*DEUS non potest definiri.*

§.



Uperfluam putamus esse opero-  
sam vocum evolutionem, cum ipsi  
termini sint clarissimi rerum desi-  
gnatarum indices. Quamquam  
enim vocabulum DEI sit ex illis,  
quæ ambigüe sumuntur, accipitur  
enim vel a) pro DEO *Φαυνομένω*,  
*qui est apparenter DEUS, sive per existimationem opinio-  
nemque hominum deceptam, quem in modum sese ha-  
bent idola gentium; sive per venditationem, pro eo, qui  
se pro DEO venditat, & pro tali quoque vult haberi,  
quorsum pertinet diabolus; vel b) pro DEO λεγομένω*  
*seu nuncupatio, de eo qui gerit divinum officium, pro-  
ut iudices & magistratus dicuntur DEI. Exod. 22. Ps. 82.*  
vel c) pro DEO *ἀληθινῶ*, hoc est primo Ente, quod  
omnibus dedit essentiam, ipsum verò à nullo dependet.  
Quamquam, inquam, hæc vox tot modis ambigüe ac-  
cipiatur, ex natura tamen prædicati quilibet colligit  
statim, nobis sermonem esse de DEO vero; quis enim  
falsos illos DEOS, Dæmonem & Idolum, quis DEUM  
nuncupatitium, Magistratum scilicet, definiri posse  
negabit?



Cæterum si unquam circa *originem* alicujus vocalæ grammatici in diversas partes scinduntur, certè circa vocabulum DEI, quod græcis *Θεός* dicitur, distinctissima dantur eorum placita, adeò ut dubio hæream animo, an viam Etymologias, in tam varias semitas dissectam, ingredi consultum mihi sit. Quibusdam enim placet formare illud à voce *δέος*, *timor*: quia pii DEum timent filialiter, propter beneficia & æqua judicia; Impii vero serviliter, propter horrenda suisque maleficiis digna judicia, supplicia. Ad quam etymologiam alluisse videtur *Petronius*: *Primus in orbe DEos fecit timor*. Alii derivant ab Æolico *δευς* pro *ζευς*, idque ab Ebræo *ד* sufficientia. Adhuc alii deducunt à *dando*, quod DEus *det* omnia tanquam bonorum omnium fons & origo. *Damascenus l. 1. de Orthod. fid. c. 2.* tres affert derivationes, 1) à verbo *θέειν*, *currere*, quod declarat per phrasin *περιέπειν τὰ σύμπαντα* disponere universa. Idem docet *plato in Cratylo*, citante *προπαραση. l. 1. Eusebio*, homines DEos vocasse *θεός*, *ὀρῶντες πάντα αἰεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα* videntes omnia in cælo, v. g. solem, lunam, stellas, currentia, vel esse in perpetuo motu. Benè tamen monet *Crauserus in Phosphoro suo philologico, p. 1.* Christianos rectiùs dicere, ideò DEUM *ἀπὸ τῆς θέειν* dici, *quod omnibus accurat, omnia ambiat, omnia in se complectatur.* 2) *ἀπὸ τῆς αἶθειν*, *ab urendo, accendendo.* DEus enim est *πῦρ πᾶσαν κακίαν κατὰ ἀναλίσκεον*, ignis omnem malitiam vel vitiosos humores consumens, *vid. Nazianzenus orat. 2. de fil. DEI.* 3)

ἀπὸ



ἀπὸ τῆς θεᾶσθαι ab intuendo vel contemplando, *spe-*  
*ctando*. Ἀλάθητ' ὧ ἐσι καὶ ἐπόπτης πάντων,  
 ut idem Damascenus loqui amat, *nihil illam latere po-*  
*test, & omnium est inspector, cernens & audiens omnia.*  
 Ἐθεάσατο ὧ, τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν  
 ἀχρόνως ἐννοήσας, καὶ ἕκασον κατὰ τὴν θελητικὴν  
 αὐτῆς ἀχρόνον ἐννοίαν. *Intuetur enim omnia, prius-*  
*quam deducantur ad ortum, intemporaliter intelligens*  
*unumquodque secundum voluntariam ipsius intemporalem*  
*intelligentiam.* Quæ notationes, quamvis satis benè  
 dicantur, putarim tamen potius pro allusionibus & de-  
 finitionibus nominalibus analogicis; quàm derivatio-  
 nibus & etymologiis propriè talibus esse habendas.  
 Æquè enim aptè, si non aptius dici poterat, DEum, si-  
 cut essentiâ est ens primum, ita quoque appellatione  
 esse primitivum.

§. 3.

Circa prædicati enodationem tenendum, 1) nos  
 posita hac thesi, non denegare DEO *definitionem nomi-*  
*nalem* in evolutione etymologiæ, Homonymiæ & Sy-  
 nonymiæ consistentem, sed *definitionem realem*, eam-  
 que 2) non *imperfectam*, quæ, si ἀκριβολογεῖν veli-  
 mus, *descriptio* proprio nomine salutatur: Sed *perfe-*  
*ctam*, quam propriè definitionem dictam malunt. Ex  
 quibus patet τὸ *definire* nos accipere h. l. in rigore isto  
 philosophico, in quo τῶ *describi*, opponitur, ut pro-  
 inde non male hujus capituli constituamus *duo membra.*  
*Unum* theticum; *alterum* antitheticum.

Mem-



Membrum I. Theticum.

§. 4.

Ex jamjam dictis formabimus commodaratione thesin nostram sequentibus verbis:

*DEus v. rus definiri nequit de finitione reali propriè sic dictâ seu perfectâ.*

Ostendemus id ipsum ab infinitate & incomprehensibilitate DEI in genere & à remotiore duplicis definitionis realis perfectæ in specie.

§. 5.

Ab infinitate DEI argumentamur ita: *Quicquid est infinitum illud definiri nequit. Atqui DEus. E. Ratio Majoris est quia ὁρισμὸς ἀπὸ τῆς ὁρίξεως, à fini-endo & determinando nomen habet, quòd certis quasi limitibus essentiam definiti circumscribat. Atqui vero propter infinitas suas, quibus DEus gaudet, perfectiones nullus in DEO dari potest conceptus quidditativus, qui includat omnia DEI prædicata essentialia, seu totam ejus quidditatem.*

§. 6.

Ab incomprehensibilitate vero: *Cujuscunque essentia est incomprehensibilis & non perfectè cognoscibilis, ille nec perfectè potest definiri. Atqui DEus. E. De Majori constat; quia dicente Philosopho ὁρισμὸς τῆς ἰσίας γνωρισμὸς ἐστίν. Minor vero inde patet, quia nullus intellectus finitus perfectè cognoscere potest Ens infinitum, nulla enim proportio datur inter infinitum objectum cognoscendum, & finitum intellectum, tanquam subjectum cognoscens, quorsum pertinet illud August. lib. de cognitione verae vitæ cap. 7. Sicut summus ille Spiritus, inquit, qui DEus est, à nullo intellectu valet propriè excogita-*



§ 7

cogitari, ita nulla definitione potest propriè definiri aut determi-  
nari, & Hilarii: Certe hoc est DEUS, quod, cum dicitur, non  
potest dici, cum non potest estimari, & cum definitur, ipsa sua de-  
finitione crescit. Memorat Cic. l. 1. de Nat. Deorum de Simo-  
nide Philosopho quod interrogatus ab Hierone Tyranno,  
quid esset DEUS, unum ad deliberandum diem petierit;  
Interrogatus postridie, biduum petiit, & tandem, quanto  
diutius rem considero, dixerit, tanto mihi videtur res  
obscurior.

§. 7.

Urgent equidem alii & hoc, quod DEUS non sit in præ-  
dicamento, jam verò ad definitionem perfectam ac in rigo-  
re suo talem requiri, ut res definienda sit in prædicamentis.  
Verum enim verò cum alia edocti simus, nimirum, quod  
infinita & illimitata essentia divina non repugnet poni in  
prædicamento, quoniam per illud essentia DEI non fit fini-  
ta, hinc meritò ab illa ratione abstinemus.

§. 8

Neque verò nobis quispiam vitiò vertet, quod ar-  
gumentum à magis ad minus omiserimus, quo dicunt: Si  
vita aeterna, tanquam finis formalis, definiri nequit, multò mi-  
nus ipse DEUS, tanquam finis objectivus; Petitum  
enim illud est ex Scholis Theologorum, cujus evolutio hu-  
jus loci haud erit:

§. 9.

Quare potius regredimur ad argumenta ex Philoso-  
phia petita, atque jam argumentamur à remotione utriusque  
definitionis realis perfectæ:

In quemcunque Definitio realis neque 1) Physica neque  
2) Metaphysica seu Logica cadit, ille nequit definiri definitione  
reali perfectâ. Atqui in DEUM verum &c. E. De Majori ne-  
mo dubitabit, cum constet sufficienti enumeratione modo-

B

rum



§ 10

rum definitionis realis perfectæ. *Minor* verò cum sit bi-  
membris probationem ejus afferemus quoad utrumque  
membrum.

§. 10.

Ostendimus itaque 1) *in DEum minimè cadere Defi-  
nitionem realem physicam.* Ratio asserti est, quia ea datur  
per materiam & formam, cum autem DEus non sit corpus  
seu Compositum ex materia & forma, in confesso est, DE-  
um neque Definitione reali physicâ posse definiri vi hujus  
Argumenti :

§. 11.

*Quicumque non est Substantia corporea, sed spiritualis  
& incorporea, ille non est definibilis definitione reali physicâ. At-  
qui DEus &c. E.* Minor probatur tum ex revelatione, quan-  
do expressis terminis dicitur Spiritus *Joh. 4. v. 24.* cujus vo-  
cabuli primaria significatio est, quâ notat substantiam  
planè immaterialem. Hæc verò, cum pertineant ad Scho-  
lam Theologorum, prolixiores in illis esse nolumus, ne vi-  
deamur falcem mittere in alienam messem; tum ex ratione,  
a) *quia omne corpus agnoscit aliquod se prius,* è quo est compo-  
situm, DEus autem non agnoscit aliquod se prius, E. non  
est corpus, foret enim id contra perfectionem DEI absolu-  
tam. b) *Ab absurdo, quia DEus aliàs non foret absolutè sim-  
plex sed compositus,* cum simplicitas DEI sit, quâ nullo pla-  
nè, multò minus physicæ compositionis realis gaudet gene-  
re; tum ex consensu Patrum primitivæ ecclesiæ, de quo  
confer *Calov. Syst. Theol. Tom. II. p. 202. Vasquez. Tom. I. in  
primam Thomæ Disp. 21. n. 1.*

§. 12.

Eò ergò remotò, quod DEus non sit corporeus, re-  
linquitur quod sit substantia immaterialis seu Spiritus, &  
quidem in sensu *non physico, sed metaphysico,* quoniam omnis  
Spiri-



*Spiritus in sensu physico acceptus est corpus; corpora namque illa agilia & invisibilia non propriè dicuntur Spiritus, quasi spirituali gaudeant essentiâ, sed impropiè ac per analogiam proportionis, scilicet propter similitudinem illam, quam ratione subtilitatis, agilitatis aliarumque proprietatum cum Spiritibus propriè sic dictis habent. Aliàs enim illa perinde ac reliqua corpora ex materia & forma constant. Sed Spiritus in sensu Metaphysico notat substantiam planè immaterialem, talem verò DEum dicimus, cum non possit non tertium hoc membrum relinqui inter Substantiam corpoream & spiritualem & accidens. Remoto ergò quod DEus non sit corpus nec accidens, relinquitur esse Spiritum, omne enim ens vel Substantia est, vel accidens, nec datur medium inter hæc duo; & deinde omnis Substantia est vel corpus vel Spiritus, nec datur similiter aliquid tertium, quod medium sit inter ista.*

§. 13.

Restat ut ostendamus *neque in DEum 2) cadere definitionem realem metaphysicam seu logicam perfectam*, ex ea ratione, quia datur illa per Genus & Differentiam propriè sic dictam, quæ in DEO non dantur. *In quemcunque verò nec 1) genus, nec 2) differentia propriè sic dicta cadit, ille definitione reali metaphysicâ seu logica definiri nequit. Atqui in DEUM &c. E.*

§. 14.

Minor probatur de utroque membro 1) in genere, *quia DEus non est species*, quicquid autem non est species illud nec aut genus aut differentiam propriè sic dictam agnoscit, supponunt enim Genus & differentia pro fundamento speciem, utpote cujus partes essentielles sunt, illam ipsam constituentes. DEum autem minimè speciem esse inde clarum est, quia a) *species aliquod universale est, DEus*



verò est ens *singulare*, imò verò *singularissimum*. Deinde quia *b) omnis species relationem infert ad plura individua Logica*, si non actu existentia, saltim *possibilia (secundum sententiam eorum, qui statuunt speciem monadicam)* & quidem talia, in quibus quâ naturam & essentiam multiplicatur. At verò DEUS nec actu plura individua habet, nec habere potest; Nam si actu habet, forent procul dubio ipsæ personæ divinæ; sed hæ non sunt talia, tum quia quodvis individuum distinctam habet ab altero essentiam; personæ autem divinæ sunt una eademque simplicissima essentia divina. Neque etiam DEUS plura individua habere potest, quia implicat plures unò esse DEOS.

§. 15.

2.) De *singulis in specie*. Et primò quidem evincimus *differentiam propriè sic dictam in DEUM minimè cadere*, quia de ratione *differentiæ propriè sic dictæ* est, ut nec includat speciem quam constituit, nec genus quod dividit. Juxta *Arist. l. 6. top. cap. 9. & 14. & Porphyr. in Isagog. c. 7. §. 5.* Jam verò omne *Attributum DEI*, quodcunque tandem ponere velles locò *differentiæ*, includeret DEUM ipsum, juxta *Canonem Theologorum tritissimum: Nihil est in DEO, quod non sit ipse DEUS.* Quandoquidem notum est, quod attributa ab essentia divina non realiter, sed saltim formalibus conceptibus differant.

§. 16.

Porro si quam velles *differentiam* ponere, quæ non sit ipse DEUS, oportet id esse creatum quid; jam verò absurdissimum DEUM ab aliquo creato habere ultimam perfectionem, cum notum sit, quod ea, quæ *differentiam* habent, perfectionem sumant à suâ *differentia*.

§. 17.

Ex *denegatâ verò differentiâ*, quæ propriè talis non datur in DEO, colligimus cum *Scheiblero op. Metaph. l. 2. c. 3. punct.*



*punct.* 2. ad denegationem quoque Generis propriè sic dicti, nam generica natura non datur, nisi contracta per Differentiam, quæ ipsam actuat & complet, sicut forma materiam. Quemadmodum E. materiæ repugnat esse sine forma, ita quoque Generi esse sine differentia. Porro cui repugnat habere differentiam, eidem & repugnat habere Genus. Unde ostenso quod DEO repugnet habere differentiam, repugnat insimul habere genus.

§. 18.

Clarum id dicimus esse ex definitione generis, cum sit juxta *Arist. l. 1. Top. c. 5. Porphyr. in Isagog. c. 2.* quod prædicatur de pluribus specie differentibus, differentia autem specie dici, quæ per additas differentias distinguuntur. Unde importari; cum quid non prædicatur de differentibus specie, genus non esse possit. At DEum, cum nullam differentiam habeat, à nulla re esse specie vel alio modo differentem, sed solum diversum, si in rigore philosophico loquendum sit.

## Membrum II. Antitheticum.

§. 1.

Ex Thesi nostra superius exstructa & adstructa facile quilibet colligit, Antithesin in hoc membro destruendam, fore nullam aliam, quam sequentem:

*DEus verus potest definiri definitione perfecta.*  
Sunt autem, qui eam propugnant, in duplici discrimine, quidam fovent tales hypotheses, ex quibus sequeretur DEum posse definitione perfecta physicâ definiri, quidam verò asserunt, definitionem Metaphysicam seu Logicam in eundem cadere.

§. 2.

Ad priorem classem pertinent illi omnes, qui negarunt DEum esse Spiritum, & contenderunt esse corpus,

B 3

quales



quales fuerunt 1) *Gentiles*, ap. *Cic. l. 1. de Nat. Deor. &c. Is enim natura, inquit, habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam esse nisi humanam Deorum, quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilantibus, aut dormienti? Primos hujus erroris autores insimulat Damascenus lib. de hæresibus, Stoicos. Dicebant enim illi corpus esse omnia, atque DEum esse hunc mundum, qui sensu percipitur. Conf. Vazquez. Tom. I. in primam Thomæ Diss. 21. n. 1. Vossium l. 7. de Idol. c. 5. quin & Dn. Thomæ Dissert. 14. adjecta tractatui de Stoica mundi exustione. 2) *Judæi ac Rabbini veteres*, testibus, *Justino, Origine*, apud *Dn. D. Calov. Tom. II. Syst. p. 178.* 3) *Mahumethani* apud eundem p. 179. 4) *Hæretici* non pauci, nominatim *Manichæi*, utpote qui & ipsi DEO corpus adscripserunt; item *Andeani*, qui DEO corpus & membra corporis humani tribuebant. Ubi obiter nota hos *Andeanos* dictos esse ab *Andeo* qui Seculo IV. vixit, & appellatos eosdem esse *Anthropomorphitas*, eò quòd DEO formam humanam tribuerint. Sunt & in illis *Messaliani* & *Nebangismonitæ* qui idem statuunt, vid. *Dn. D. Calov. l. c. sunt & Anthropomorphitæ* recentiores, qui Seculo X. in Italia invaluerunt, teste eodem *Calov. Crellius* DEum Spiritum quidem esse asserit, sed eo tantum sensu, quo aër aut alia corpora huic similia Spiritus dicuntur. *lib. de DEO & Attribut. p. 107.**

§. 3.

Objicit *Cicero* datò locò, duas urgendo rationes pro demonstrando eo, quod DEus speciem humanam habeat. Nam a) ex naturæ ductu id evincere satagit: A natura, inquit &c. vult ita argumentari: *Quicquid de DEO nobis à natura est impressum, illud DEO revera competit; At qui species, seu forma humana de DEO à natura nobis est insita. E. & consequenter DEus est corpus. Major constat, quia naturalia minimè fallunt; Minor autem probatur à Cicerone, quia nobis*



*nobis cunctis & vigilantibus & dormientibus occurrit de DEO species humana. Resp. Negando Minorem, quandoquidem infans cum nondum adhuc de DEO est instructus, talem de ipso in se non habet speciem atque formam; sed illa ex informatione demum ipsi imprimitur. Ad probationem minoris Resp. dist. inter conceptum DEI qualemcunque confusum ac naturalem, quem imbecillitate iudicii ad qualemcunque instructionem aliunde haustam de DEO formamus; & inter conceptum distinctum & abstractum, quem, ubi de DEO meliora fuerimus edocti, in mente nostra demum efficimus. Concedimus, conceptu DEI prioris generis speciem humanam referre, sed negamus, quod posterioris generis talem referat. Deinde idem ille Cicero b) Vult ita argumentari: *Præstantissima Natura gaudet formâ pulcherrima; DEus est præstantissima natura E.* At verò humana forma est præstantissima, E. & DEum humanâ formâ gaudere oportet. Resp. limitando Majorem h. m. *Natura præstantissima, in genere scilicet naturalium, gaudet formâ præstantissimâ, sic nego minorem.**

§. 4.

Objiciunt reliqui 1) *DEO attribui membra corporea, v. g. manus, pedes, oculos, aures &c.* Resp. Dicta illa Scripturæ, quibus DEO tribuuntur membra corporea, intelligenda sunt *metaphoricè & symbolicè, non propriè, juxta Regulam Damasceni: τὰ ἀνθρώποπαθῶς λεγόμενα θεοπρεπῶς i. e. συμβολικῶς & ὑψηλοτέραν διάνειαν habentia) νοή- ται L. 1. O. F. c. 14.* unde per *oculos* intelligitur *omniscientia*, per *aures apertas* *clementia*, per *os voluntatis* *communicatio*, per *brachia* *omnipotentia*, per *pedes* *omnipresens*, per *nasum* *ira*. Quare August: *DEus totus oculus, quia omnia videt, DEus totus manus est, quia omnia operatur, DEus totus pes est, quia ubique præsens.*



§. 5.

2) *Hominem esse conditum ad imaginem DEI.* E. colligunt, DEum esse similis formæ in homine. Resp. Imago ad quam homo est conditus, doctibus Theologis, non dicit formam corpoream, sed πρώτως sapientiam in intellectu, justitiam & sanctitatem in voluntate, puritatem & harmoniam in appetitu sensitivo, δευτέρως immortalitatem, nullo autem modo formam corpoream.

§. 6.

3) *DEum comparuisse, in forma corporis humani;* Resp. non καθ' ὑπόστασιν, sed κατὰ παράστασιν assumti, visus enim est per apparitiones non in natura & essentia sua propria, quippe quæ est invisibilis & insensibilis, sed in forma per œconomiam ad tempus assumta.

§. 7.

Objiciunt *autoritatem Patrum* nonnullorum, qui *DEum dixerunt corpus*: Resp. 1) generaliter hanc Regula quam Augustinus Cresconio Grammatico, cum Cypriani autoritatem urgeret, opponebat. *Quicquid in Patribus Scripturarum autoritati congruit, cum laude ipsorum recipio; quod non congruit, cum pace ipsorum rejicio.* Tantum enim superstructi sumus super fundamentum Prophetarum & Apostolorum 2) Specialiter distingvendo inter corpus sumtum in oppositione ad fictum seu ad inane phantasma aut umbratile accidens, hoc est, pro vera ac solida substantia reali durabiliqve essentia; & inter corpus acceptum in oppositione ad Spiritum, pro substantia composita ex materia & forma, quæque partes quantitative extensas habet. De priore acceptione interpretandæ sunt istæ locutiones Patrum v. g. *Tertulliani*; ut qui DEum corpus esse dixit; it. *Augustin, lib. 10. de Genesi.* Cæterum obiter notamus stylum istum temerè haud esse imitandum: Illa enim acceptio in priori membro Distinctionis adducta foret



impropria ac catachrestica, adeoque minimè nobis usurpanda.

§. 8.

Pergimus jam ad alteram Classem contradicentium, qui putant DEum posse definiri definitione reali Metaphysicâ seu Logicâ perfectâ, & hanc Antithesin tenent illi, qui DEO Genus & Differentiam assignant, atque adeo pro specie eundem habent, uti B. Zeisoldus in *Pneumat. Disp. II. §. 18. & seqq. p. 53.* In specie autem propugnant eandem plurimi quoque Scholasticorum, in quibus est Ariaga, partim in *curso philosophico Disput. III. Metaph. Sect. 2.* partim in *curso Theol. Tom. I. Disp. VI. Sect. 1.* Item Calviniani Theologi pariter ac Philosophi, ut *Piscator volum. I. Disp. Theol. Loc. II. de DEO, p. 76.* *Vorstius Disp. II. de Nominibus DEI Thes. II. p. 10.* *Implerus lib. IV. Metaph. Part. 2. Disp. 4.* *Goclenius lib. III. Probl. Logic. Problemate 51.* & in aliis scriptis suis passim, ut & præter hos multi alii.

§. 9.

Objiciunt verò pro adstruenda hac sua sententia hæc ferè sequentia: 1) *Quicquid agnoscit Genus & Differentiam id potest definiri, Atqui DEus, &c. E. Major,* inveniunt, est in confesso, *Minorem* probant, quia DEus est Spiritus, & in eo convenit cum Angelo & anima rationali, est etiam independens, & in eo differt non ab his tantum, sed etiam à cæteris rebus. Resp. Distingvendo inter *Genus & Differentiam strictè & in rigore suo talem, & inter conceptum qualemcunque communem ac proprium, conceptui generico ad differentiali quodammodo analogum;* Major intellecta de priore, verissima est, sed sic negatur Minor. Nam qui in probatione allegantur conceptus, non genericus ac differentialis strictè dicti sunt, de quibus loquitur Minor, sed qualiscunque communis & proprius, quos quidem DEO minimè denegamus.

C

§. 10.



Excipitur hic a) nihil vetare quo minus & communem DEI conceptum, Genus; & proprium, Differentiam dicamus; esse enim has notiones secundas ab intellectu rebus impositas, quæ DEO nihil imperfectionis inferant. Resp. 1) DEO non competere Genus ac Differentiam paulò ante probatum est, unde relinquitur, nec communem DEI conceptum notionem Generis, nec proprium differentiae admittere. 2) inter notiones Logicas, ea omninò Differentia datur, ut quidem nonnullæ earum nihil imperfectionis inferant, ut sunt: Notio subjecti, prædicati, Majoris, Minoris termini &c. aliæ verò adhuc aliquid imperfectionis ratione fundamenti importent, ut sunt v. g. Individuum, Species, Genus &c. Quamvis ergò illæ DEO non repugnent, has tamen eidem tribuere nefas omninò putandum.

## §. II.

Excipitur b) Quamvis vel maximè DEus non agnoscat Genus & Differentiam, sufficit tamen, quod is per conceptum communem ac proprium explicari queat, & ita omninò DEum definiri posse dicendum. Resp. Si de Definitione imperfecta, seu aliquali descriptione fermo, concedimus, si de perfecta & in rigore tali, propter rationes allatas, negamus. Nam non omnis conceptus communis habet rationem veri generis. Unde nec omnis conceptus distinctus & proprius subinfert propriè sic dictam differentiam. Nam potest aliquid prædicari de pluribus, vel primo diversis, vel distinctis accidentaliter, vel distinctis numero &c. Id igitur hætenus, quia de pluribus prædicatur, conceptum communem significat, & tamen Genus non est, quia in neutro casu prædicatur de differentibus specie, quod in Definitione generis requiritur. Inde quoque sequitur  
non



non omnem conceptum proprium facere differentiam. Ut recte docet. *Scheibl. Op. Metaph. l. 2. c. 3. part. 4.*

§. 12.

2) *Datur de DEO scientia E. datur quoque DEI Definitio*: Consequens probatur, quia sicut Demonstratio est adæqvata ratio cognoscendi attributa, ita Definitio est via adæqvata cognoscendi substantias. Minor probatur quia Metaphysica agit omninò scientificè de DEO. Confirmatur totus Discursus, quod *Arist. l. 7. Metaph. c. 15.* ex scientia colligat definitionem & contra. Resp. Est Definitionis & scientiæ aliqua diversitas, nam quod perfectè definibile est, non potest esse ens perfectissimum, quia implicat compositionem ex Genere vel Differentia, quæ imperfectionis sunt; ast, ut quid dicatur scibile, nihil imperfectionis importatur ad scientiam. E. satis est modo aliquid definiatur per descriptionem, non autem necessaria est ad hoc definitio perfecta. Quod patet ex summis generibus, quæ scientificè cognoscuntur in Metaphysicis, & tamen perfectè definiri nequeunt.

§. 13.

Denique 3) *Si DEus nequit definiri, obstabit aut ejus simplicitas aut infinitas; sed nec simplicitas, aliàs enim neque Angeli possent definiri, quod absurdum, nec infinitas, nam linea, cum sit infinita, definitur tamen.* Ergò omninò potest definiri. Resp. ad primum Disting. inter *simplicitatem absolutam*, quæ nullo plane gaudet compositionis realis genere, qualis est DEI, & *respectivam*, qualis est Angelorum, his enim non deneganda compositio realis Metaphysica ex Genere & Differentia, unde definiri omninò possunt; ad alterum Disting. inter *infinitum in quantitate*, & *in essentia*, Infinito in essentiâ repugnat posse definiri, ea enim infinitas excludit omnem dependentiam in essentia, ast quod est definibile



nibile, id constat ex Genere & Differentia, Genus autem & Differentia componunt essentialiter. Unde quicquid est definibile, habet essentiam dependentem ex genere & differentia, quæ differentia clarè repugnat ei, quod in essentia est infinitum.

## CAP. II.

DE

### Descriptione DEI.

§. 1.

**E**Viato hucusque DEum non posse *definiri*, facile relinquitur, posse tamen *describi*, cum nullum dari queat entium genus, cujus natura aliquali modo explicari nequeat. Distribuantur autem Descriptiones istiusmodi s. Definitiones imperfectæ in Scholis Logicorum per duas classes, una est *causalium*, altera *non-causalium*. Causales petuntur à causis externis, efficiente & fine. Res tamen ipsa loquitur, thesin in respectu ad has minimè esse intelligendam; siquidem DEus est ens primum & independens, & causa omnium prima, unde eidem principia fieri non sunt tribuenda.

§. 2.

Tenendum itaque huc quadrare descriptionem non-causalem, quæ v. cum sit iterum duplicis generis vel *per genus & accidentia*, vel *per genus & proprietatem cum definito convertibilem*; hinc facile dabis, priorem de DEO formari haud posse, cum tanquam ens increatum & perfectissimum excludat accidentia, quæ imperfectionem quandam important, & rerum sunt creatarum.

§. 3.

Iis tamen nos neutiquam opponimus, quibus descriptionem dare placet per genus & proprietatem convertibilem: Quem in modum tres maximè regnant hujusmodi Descriptiones. Communissima est: *Deum esse Spiritum infinitum*; Aliis placet; *DEum esse Spiritum independentem*; & adhuc alii dicunt: *DEum esse Spiritum, qui sit omnium rerum causa prima*. In genere conveniunt, quod faciunt *Spiritum*, quò ipsò insimul juxta canonem logicorum: Quicquid dicitur de prædicato propositionis, id quoque dicitur de subiecto ponuntur in DEO duo, 1) quòd



quòd sit ens; & quidem a) primum, abs quo omnis alia entitas in cœlo & in terra dependet. b) Unum, unitate singularissima, quâ ob infinitatem ipsi repugnat multiplicari, aut plures unò esse DEOS, contra naturam enim infiniti est, ut dentur unò plures infiniti. c) Verum, quia ei verè convenit essentia divina & debita. d) Bonum, quia perfectione sibi debita & undiquaque infinita præditus est. 2) Quòd sit substantia, tum quia maximè per se subsistit, tum quia substantia de Spiritu prædicatur quidditative, & quidem immaterialis, consequenter de ipso DEO remouentur compositiones ex materia & forma, ut & ex partibus quantitativis.

## §. 4.

Dum v. loco generis ponitur terminus *Spiritus*, respectus fit ad *Angelos & animam rationalem*, cum quibus DEUS conceptum hunc communem habet. Pro dirimenda autem illa controversia, an sit genus univocum an analogicum; monet Maximè Rever. Dom. D. Alberti, respiciendum esse duplicem fontem ex quo expositio analogorum hauriri queat. Cùm enim Aristoteli Analoga dicantur, quæ uni competunt in ordine ad prius, alteri ad posterius, sanè in confesso est, spiritualitatem DEO tribuendam esse in ordine ad prius, quia essentiam spirituales angelis & animæ rationali ipse dederit, ex quo sequitur, commodè Spiritum pro genere analogico haberi posse. Sin v. analogia interpretemur ex mente Scholasticorum, quatenus nimirum inaequaliter participant de eadem definitione, similiter patet vix commodè Spiritum dici genus analogicum, cùm non modo DEUS sed & angelus & anima sit substantia immaterialis. vid. Maximè Rever. Dn. D. Alberti Disc. man. Pneumaticum.

## §. 5.

Ponderato genere, consideranda quoque in definitionibus datis est differentia, circa quam apparet Methaphysicorum diversitas, nonnulli enim petunt eam ab *independentia* DEI; alii ab *infinitate*; quidam à *causa prima*. Ubi non diffiteor, unumquodque adductorum vices differentiae commodè sustinere posse, quoniam eò modò DEUS differt iterum ab angelis & anima, cum quibus in conceptu spiritualitatis conveniebat, quin imò infinitas aut independentiam DEUM ab omnibus aliis rebus secernunt. Interim tamen Ebelius in *Aphor. Metaph.* suis mavult independentiam, quàm infinitatem, aut causam primam loco differentiae esse ponendam, sequenti motus argumento:



Quocunqve non tantum DEus à reliquis omnibus distinguitur, sed etiam non datur aliquid nostro intelligendi modo prius, quod rationem formalem solemus vocare, & unde reliqua attributa omnia inferri & probari possunt; illud est conceptus primus & proprius, sive ratio à priori, per quam aliquid in esse constituitur.

Atqvi Independentia in DEO &c. E. Probat Minorem, quod independentia nostro concipiendi modo prior sit 1) infinitate, ideò enim nos DEum ut ens infinitum apprehendimus, quia à nullo alio dependet, à quo ejus essentia finiri possit, aut terminis ac limitibus circumscribi. 2) primitate causæ, quoniam ideo prima omnium rerum causa est, & aliam priorem non habet, quia omninò independens est, quod si independens non esset, etiam causa prima non esset, sed aliam priorem se haberet, ab eaque dependeret.

## §. 6.

Sed quamvis hæc sic satis accuratè ab ipso disputentur, tamen tamen haud esse videntur, ut aliquis reliquas duas descriptiones improbare velit, si præsertim notet, mentem nostram eò tendere, ut eò, quod differentia loco ponitur, Deus discernatur ab angelis & anima, quod æqvè commodè per infinitatem, quàm per independentiam aut causam primam fieri potest. Sequelstramus enim potius plane pleneqve imperfectum illum & inadæqvatum concipiendi modum nostrum, quò independentiam ut causam virtuales, & rationem formalem, quæ DEum in esse DEI constituat, nobis imaginari volumus, manentes in eo apprehendendi modo, quo concipimus nobis: nihil esse in DEO quod non fit ipse DEus.

## §. 7.

Cæterum noli mirari, quod in allatis hisce descriptionibus unum saltem afferatur divinum attributum, in definitionibus enim studendum est brevitati, quàm maximè, & quia hæc attributa satis sunt ad distingvendum & secernendum DEum ab omnibus entibus aliis, ubi tamen nec aliorum, coacervantium omnia attributa divina, consilium improbamus.

## §. 8.

Benè ergò sese habent definitiones patrum! Benè inquit *August. lib. qq. V. & N. T. q. 1.* DEus est Spiritus naturâ simplex, lux inaccessibilis, invisibilis, inestimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis, venerandus, diligendus, metuendus, omnipotens, omnituens, dives, bonus, justus, severus, misericors,



ricors, clemens, patiens sive longanimis. *Et, de quant. anim. c. 33.* DEus est omnium rerum creator, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, incorruptibile principium, incommutabilis sapientia, incommutabilis veritas, incommutabilis aeternitas, incommutabilis virtus, incommutabilis charitas, unus verus DEus atque perfectus, qui nunquam non fuit, nunquam non erit, nunquam aliter fuit, nunquam aliter erit, quod nihil secretius, nihil praesentius, &c. Bene *Anselmus in Profolog. c. 18.* Quid es Domine, quid es, quid te intelligit cor meum? Certe vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, aeternitas es, & omne, verum, bonum es. Bene quoque *Damasceus l. 2. de Orth. fid. c. 2.* DEum ferè negativè describit. Θεός ἐστιν ἀνάρχος, ἀτελεύτητος, αἰώνιος, καὶ αἰδιός, ἀκτιστός, ἀτρεπτός, ἀναλλοίωτος, ἀπλόος, ἀσύνητος, ἀόρατος, ἀναφής, ἀπερίγραπτος, ἀπειρόνοητος, ἀγαθός, δίκαιος, πάντων κτισμάτων, δημιουργός, παντοδύναμος, παντοκράτωρ, παντίπληρης, πάντων πραγμάτων, ἐξουσιαστής, κρατής. h. e. DEus est sine principio, sine fine, aeternus ac sempiternus, increatus, immutabilis, inalterabilis, simplex, incomplexus, invisibilis, intangibilis, incircumscriptus, intelligibilis, incomprehensibilis, bonus, justus, omnium creaturarum fabricator, omnipotens, omnia gubernans & intuens, omnibus providens, habens potestatem, & iudex.

§. 9.

Hi rectam viam in Descriptionibus DEI ingrediuntur, declinavit v. ab eam Plato: Θεός, inquit, ἐστὶ ζῶον ἀθάνατον, ἀύρακτον πρὸς ἑαυτὸν, ἕκαστα αἰδιότητος ἀγαθῆ φύσεως αἰτία. h. e. DEus est animal immortale, sufficiens sibi ad beatitudinem, substantia aeterna, autor boni in natura. Sed cui, quæso, non displiceat nomen animalis. Animal enim juxta propriam, eamque tritam significationem est species corporis, & praeditum est variis organis corporeis, quæ DEO non conveniunt. Alii aberrarunt afferendo Descriptiones ænigmaticas & metaphoricis, quem in modum sese habet Descriptio *Pythagoræ.* DEum esse, ait, excessum maximorum numerorum supra proximum: *Trismegistus* DEum dicit esse circulum, cujus medium est in centro, circumferentia ubique. Priorem taxat *Chemnit. de DEO p. 58.* Posteriorum reprehendit *Scaliger. Exerc. 363.* pessimè, inquit, medium assignat (*Trismegistus*) infinito, & circumferentiam qui dat, finitum facit. Tum si erit ubique circumferentia, erit etiam in medio, & idem fiet medium cum circumferentia. Sunt tamen qui definitionem *Trismegisti* aliter referunt. Nimirum: DEus est intelligibilis sphaera, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. Traditque *Ambrosius ad cap. 3. Ephes.* hujus Descriptionis hanc resolutionem: Sicut nempe in sphaera omnia sunt æqualia, & quanta est altitudo & latitudo tanta est profunditas: Ita in DEO etiam omnia sunt æqualia. Per centrum indicatur individua & omnimoda DEI simplicitas, & sedere quasi in centro dicitur DEus indeque universali oculo cuncta conspiciere, quoniam à centro simul in omnia est conspectus. Tandem per circumferentiam notatur infinitas & immensitas divina, quæ nullis, neque extra neque intra mundi ambitum coercetur limitibus. Sed est adhuc definitio Metaphorica, quam cum Philosopho improbamus.

§. 10.

Quare si rectam semitam in Descriptionibus DEI tenere desideras, ingredi triplitem viam Scholasticorum, quam sternunt circa cognitionem DEI, & facillimo negotio ad descriptionem ejus applicabis. Ex via enim *causalitatis* sive *operatio-*





his colliges sequentes ferè Descriptiones, quod DEUS sit causa prima, & unde pendent cætera, Autor boni in natura, Creator, Conservator, ac Governator omnium, & quæ sunt his similia. Sin pergas ad viam *negationis*, quæ removentur à DEO nostræ imperfectiones: Dices: DEUM esse infinitum, immensum, independentem, immortalem &c. Ubi tamen diligenter observa, sub istis negationibus non apprehendi negationem præcisè, sed adæquatum eorum conceptum esse implicando essentiam divinam. Veluti infinitas non est præcisè carentia finitatis, sed in conceptu adæquato est idem ac essentia divina, carens finitate. Negationes enim ut sic, sunt non entia. Unde, nisi quid positivi implicarent, non deberent poni in definitione vel DEI vel ullius rei alterius. Sunt itaque istæ descriptiones, quæ juxta ductum hujus viæ, formantur equeidem de termino negativo, interim tamen neutiquam negativæ, res quippe, quæ terminis hisce effertur, est positiva, obstat saltem imbecillitas ingenii nostri, quò minus eam termino quoque positivo efferre queamus. Denique viam *eminentiæ* & *perfectiōis* si spectes, occurrent sequentia attributa, ex quibus Descriptionem DEI componas. Veluti quæ DEUS sit omnipotens, omniscius, omnipræfens &c.

§. II.

Cave tamen in descriptionibus hisce Metaphysicis admisceas ea, quæ non nisi ex revelatione nota sunt. Juxta talia enim attributa agitur de DEO in Theologia. In Philosophia autem non agitur de DEO, nisi quantum per notitiam naturalem cognosci potest. Quare etsi ad plenam DEI Descriptionem, pertineat quoque mentio Patris, Filii & Spiritus sancti & relatione, quibus ad invicem referuntur. Philosophus tamen, describens DEUM, istas personas non attingit. Moneo cum *Scheibler* *op. Metaph. l. 2. c. 3. art. 2. n. 78,*

§. 12.

Hæc ita de indefinitate DEI dicta sunt ex quibus rimari & mirari fas est, dignitatem, eminentiam, atque majestatem supremi Numinis præcunte *Tertulliano* *lib. de Trinit.* his verbis: Quid de DEO, inquirente, digne dicas aut sentias, qui omnibus etiam sermonibus major est? qui est omni sublimitate sublimior, & altitudine omni altior, & profundo omni profundior, omni luce lucidior, omni pulchritudine pulchrior, majestate omni major, omnibus divitiis ditior, omni benignitate benignior, & omni bonitate melior. Non procul ab ejus mente discedit *Cyprianus de præl. simplic. 11. 3.* Sic DEUM dignè æstimamus, ait, dum inæstimabilem dicimus, & in Prologo iterum: Neque enim definibilis est divinitas, sed verius sinceriusque remotio indicat, negando, quid non sit, quàm asserendo, quid sit. *Justinus Martyr. Protreptico ad gentes* inquit: *θεὸν νοῦσαι μὴ καλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον.*

F I N I S.

COROLLARIA.

- DEUS potest poni in prædicamento substantiæ.
- Personæ S. S. Trinitatis non sunt causæ sociæ creationis.
- Bona opera non sunt causa salutis sine quæ non.
- Propositiones Personales sunt inusitata.



Fb 3352<sup>d</sup>

ULB Halle

3

006 764 568



1017









Q. D. B. V.  
DISSERTATIO

DE  
INDEFINIBILI-  
TATE DEI,

Qvam

*Inclyt & Facultatis Philosophicae indultu,*

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

*placido eruditorum examini subijcit*

Sub Præfidio

M. CAROLI ANDREÆ **Redel** /  
Hallenfis.

JOHANNES SAMUEL **Klinger** /  
Lipfisfis.

Die 21. Jan. Ann. 1691.

H. L. Q. C.

a. XCIV. 29.

LIPSIÆ,

Typis, WITTIGAVIANIS.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches